

eam non comprehendit : ergo signum est quod etiam in naturalibus non comprehendit Angelum superiorem ex sua virtute præcise, sicut nec in supernaturalibus.

XXII. Secunda vero pars conclusionis, quod ex illuminatione superioris Angeli inferior cognoscat omnes perfectiones naturales superiores, ac per hoc ex parte rei cognitæ illum comprehendat, quia omnes perfectiones, et modos ejus attingit, licet ex parte modi cognoscendi semper sit diversitas in superiori et inferiori, sumitur ex D. Thoma infra q. cvi, art. iv, ubi docet quod Angeli superiores de omnibus, quæ cognoscunt illuminant inferiores, ita ut easdem res cognoscunt inferiores, quas cognoscunt superiores, licet superiores semper eminentius cognoscant, et diverso modo se tenente ex parte cognoscentis. Unde sumitur ratio pro ista parte, quia Angelus superior per illuminationem manifestat totum quod ipse cognoscit ex parte rei cognitæ ipsi inferiori, licet accommodando illud juxta modum, et capacitatem inferioris : sed sufficit ad comprehensionem alicujus objecti, quod cognoscatur quantum ad quidditatem, et quoad omnes perfectiones, et modos sibi convenientes attingendo totum hoc ex parte rei cognitæ, licet ex parte ipsius cognoscentis diversus modus, et perfectio detur in superiori quam in inferiori : ergo, etc. Minor probatur, quia comprehensio objecti solum requirit, quod adæquetur tota intelligibilitas objecti quantum ad omnia quæ sibi conveniunt, ita quod nihil de his lateat videntem, licet possit in hoc dari diversa perfectio cognitionis, et comprehensionis in intellectu magis perfecto, sicut patet quod duo Angeli, unus superior, et alter inferior, uterque comprehendit eandem rem corpoream, seu aliam, quæ utique inferior est, li-

cet superior Angelus eandem rem inferiorem perfectiori modo attingat, et magis immateriali ex parte ipsius cognoscentis, quam Angelus inferior : ergo signum est sufficere ad comprehensionem Angeli superioris, quod cognoscat illum inferior quoad omnes perfectiones, et modos ex parte rei cognitæ per illuminationem ortam, et participatam ex superiori Angelo, licet ex parte cognoscentis semper Angelus superior eminentiori modo cognoscat idemet objectum quam inferior. Neque ad istam comprehensionem requiritur quod cognoscantur ex vi talis comprehensionis actus liberi ipsius Angeli. Nam isti semper eximuntur a comprehensione naturali alicujus intellectivæ : naturalis enim comprehensio solum ea petit attingere, quæ ad naturalem ordinem spectant in re comprehensa, non ad morale, vel supernaturalem. Cujus manifestum signum est, quod etiam Angelus superior, qui sine dubio comprehendit inferiorem, non tamen ejus actus liberos ex vi hujus naturalis cognitionis attingit : ergo non requiritur ad comprehensionem, de qua loquimur, cognitio actuum liberorum.

FUNDAMENTA OPPOSITA SOLVUNTUR.

XXIII. Tota vis fundamenti oppositi ad duo principalia reducitur.

Alterum ex auctoritate D. Thomæ; alterum ex ratione.

Auctoritas D. Thomæ sumitur ex secundo contra gent. c. xcvi, ubi inquit sanctus doctor quod : « Ex hoc quod substantia aliqua est intellectualis comprehensiva est totius entis. Unde cum substantia separata per naturam non fiat actu comprehendens totum ens, ipsa in sua substantia considerata, est quasi in po-

tentia ad similitudines intelligibiles, quibus totum ens cognoscitur, et illæ similitudines erunt actus ejus in quantum est intellectualis. » Et similiter capite xcix sequenti, quod : « Cum intellectus Angelorum sit perfectus naturali perfectione, utpote totus in actu existens, oportet quod suum objectum, scilicet ens intelligibile universaliter comprehendat. » Et infra : « Quia vero intellectus substantiæ separata est in actu habens omnes similitudines ad quas est in potentia habet virtutem comprehendendi omnes species, et differentias entis, necesse est quod substantia separata quælibet cognoscat omnes res naturales, et totum ordinem earum. » Quibus verbis manifestissime D. Thomas tribuit cuicumque substantiæ separatæ vim comprehensivam totius entis (scilicet creati, et naturalis, ut se explicat in his ultimis verbis citatis ex capite xcix) nec solum dicit quod sub objecto intellectus Angeli comprehenditur omne ens, sed quod ipse est comprehensivus omnis entis : ergo male negamus non comprehendere Angelos superiores, cum ipsi pertineant ad ordinem entis intelligibilis ordinis naturalis. Nec dici potest quod Angeli inferiores comprehendunt superiores ex illuminatione superiorum. Obstat enim locus supra citatus ex D. Thoma infra q. cix, art. iii ad ii, ubi docet quod : « Secundum ea quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non est necessaria manifestatio veritatis, nec in Angelis, nec in dæmonibus, quia hæc statim a principio noverrunt; et ideo secundum ista non est illuminatio in dæmonibus. » Ergo si ex natura sua inferiores Angeli non comprehendunt superiores, neque ex illuminatione superiorum eos comprehendunt.

Respondetur quod in primis si in istis auctoritatibus verbum com-

prehendendi sumatur in toto rigore pro comprehensione perfecta, et adæquata, non potest intelligi illud verbum totum ens, totum intelligibile in omni universalitate, cum dicit D. Thomas quod est comprehensiva totius entis, quia sub ratione totius entis non potest intelligi ens morale, seu liberum (cogitationes cordis) ens supernaturale, nec ens divinum; hæc enim tria excipiuntur a cognitione naturali Angeli. Dicunt ita esse, quia D. Thomas solum loquitur de ente naturali; et sic intelligendus venit, quia capite xcix citato dicit, quod comprehendit substantia separata omnes species, et differentias entis; et sic necesse est quod cognoscat omnes res naturales. De naturalibus ergo solum loquitur, quando dicit quod universaliter omne ens comprehendit. Sed si ita est quod glossatur D. Thomas de omni ente naturali, et creato, quando dicit quod Angelus comprehendit totum ens, quare etiam non glossabitur, et restringetur ad totum ens naturale sibi inferius, quia dicit idem D. Thomas in quæstione xvi de malo supra citata, quod per species inferiores non comprehenduntur species universaliores superioris intellectus. Vel etiam glossare possumus ly comprehendere quod sumatur non in rigore pro cognitione adæquata, et addente super quidditativam, sed pro comprehensione communiter dicta, id est, apprehensione rei. Quare verba D. Thomæ propter suam magnam amplitudinem capacia sunt istarum glossarum, et restrictionum ex his per quæ se explicat in aliis locis.

XXIV. Veritas tamen est, quod nomine comprehensionis non utitur D. Thomas in rigore prout comprehensiva cognitio sumitur in præsentibus pro adæquata, et perfecta ultra quidditativam, sed communiter pro cognitione assecutiva rei, perfecte

etiam circa comprehensionem. Et hoc sumitur tum ex intento D. Thomæ, tum ex modo loquendi promiscue utentis nomine comprehensionis, vel cognitionis in eisdem locis. Ex intento D. Thomæ, nam in illis locis non disputat, nec tractat de comprehensione Angeli, secundum quod comprehensio addit supra quidditativam cognitionem, sed solum intendit in capite. *xcviii* ostendere quod Angeli non intelligunt alias substantias spirituales per suam essentiam, sed per species superadditas, et in capite *xcix* quod cum intelligant totum ens, necesse est etiam quod intelligant substantias materiales, quia perfecta sunt, et in actu respectu totius intelligibilis; et sic universaliter comprehendunt, id est, complectuntur, et se extendunt etiam ad substantias materiales. Quare in neutro loco S. Thomas loquitur de comprehensione intensiva, et quoad perfectam adæquationem cum objecto, sed in primo ostendit debere habere species ad intelligendum alias res, quia per essentiam suam non cognoscit, aut comprehendit nisi seipsum; est autem intellectus Angeli totius entis comprehensivus, id est, cognoscitivus: ergo debet habere species aliorum entium: ad inferendum enim quod debet istas species habere, non conducit quod comprehendat alia, sed quod cognoscat. Et in secundo loco solum probat quod ad res materiales se debet extendere, quia perfectus est in genere intelligibili, et debet totum ens universaliter comprehendere, ubi ly comprehendere, non refert quod sumatur pro comprehensione rigorosa, sed sufficit quod fit cognitio complectens seu extendens se ad totum ens: hoc enim illi intento tantum deserviebat. Unde ut in ipso contextu cerni potest, modo utitur D. Thomas verbo comprehendendi, modo cognoscen-

di; et sic promiscue accipit ly comprehendere pro eo quod est cognoscere. Nec contra hanc expositionem oppositi auctores aliquid afferunt quod impugnatione indigeat, sed tantum quod D. Thomas reddit rationem quare Angelus comprehendit totum ens, videlicet quia est perfectus perfectione naturali in suo intellectu, et convenit in gradu immaterialitatis cum quovis ente naturali, quod nihil probare statim ostendemus solvendo rationem: id enim solum probat quod cognoscit omne ens, sed non omne æque perfecte.

XXV. Adde denique quod si tenaciter insistatur in eo quod D. Thomas loquitur de comprehensione stricta et rigorosa, potest adhuc salvari, dicendo quod quilibet Angelus comprehendit totum ens, sed non æqualiter, et eodem modo, sed se, et inferiora sibi ex virtute propria: superiora autem ex illuminatione, et manifestatione superiorum. Nec obest locus allatus ex quæstione *cix* infra, quia jam supra hunc locum abunde explicavimus, quod negat D. Thomas secundum naturalia ista fieri illuminationes a superioribus, ita quod de novo fiant istæ illuminationes, sed non negat ab initio fuisse factas, cum alias fateatur illuminationes fieri secundum ea quæ pertinent ad statum naturæ, et gratiæ, et gloriæ, ut ibi retulimus, et ostendimus ex eodem D. Thoma.

XXVI. Secundo arguitur: Nam Angelo inferiori est connaturaliter debita species superioris, et ipsum cognitum connaturaliter est in cognoscente, et ipsa etiam cognitio rei superioris connaturaliter est in intellectu inferiori: omnis etiam quidditas, omnes perfectiones, et modi rei superioris sunt objectum proportionatum intellectui Angeli inferiori: ergo habet omnia requisita,

et sufficientia, ut Angelus inferiori superiorem comprehendat. Consequentia patet, quia ad comprehendendum objectum aliquod, sufficit quod nihil illius sit tam in quidditate, quam in perfectionibus, et modis quod non sit tali intellectui proportionatum, et consequenter nihil illius lateat intellectum inferioris. Et similiter quod species repræsentativa illarum perfectionum, et modorum sit connaturaliter in Angelo inferiori: sic enim signum est quod objectum repræsentatum per talem speciem non est supra ejus naturam, nec improporionatum illi, si quidem connaturaliter in est ipsi inferiori: ergo attingit totum, et totaliter quod in illo objecto est, quia totum et totaliter sumptum, connaturaliter in illo est. Antecedens autem probatur. Nam Angelo inferiori datur connaturaliter, et a principio species repræsentans Angelum superiorem tamquam species de objecto naturalis ordinis, et pertinente ad propriam sphaeram intelligibilem inferioris Angeli, sed Angelus inferior est intellectus perfectus, et in actu non procedens de potentia ad actum, sicut intellectus noster: ergo petit talis intellectus actuari perfecte circa illud objectum, cujus species sibi traditur, alias non peteret intellectus Angeli perfecte se habere circa omne objectum quod sibi connaturale, et proportionatum est, quod est habere se in potentia erga illud, atque adeo posse acquirere majorem cognitionem, et proficere in illa, quod est habere radicem, et fundamentum discurrendi. Similiter Angelus superior, omnesque ejus perfectiones, et modi spectant ad res ordinis naturalis, et ad integritatem hujus universi: ergo sunt objectum proportionatum cuilibet Angelo etiam inferiori, etiam secundum propriam virtutem

considerato, et independenter ab illuminatione superioris, quia quilibet Angelus respicit pro objecto omne ens naturale, et ad hoc universum spectans, ut ex D. Thomæ locis citatis in primo argumento constat: ergo si Angelus superior, et quidditas ejus et omnis perfectio, et modus ejus pertinent ad ordinem naturalem, consequenter omnia hæc non latent Angelum inferiori: ergo ex virtute sua comprehendit Angelum superiorem, quia comprehensio consistit in hoc quod nihil de objecto lateat videntem, sed adæquetur illi in tota intelligibilitate ejus.

Respondetur distinguendo antecedens; Angelo inferiori est connaturaliter debita species, et cognitio superioris repræsentans Angelum superiorem juxta modum inferioris, et consequenter cum aliqua confusione, et potentialitate, et inadæquatione ad ipsum, concedo; repræsentans Angelum superiorem juxta modum ipsius superioris, et consequenter cum adæquatione, et perfecta distinctione erga ipsum, nego. Similiter Angelus superior, et omnes ejus perfectiones sunt objectum proportionatum, et ordinis naturalis, et pertinens ad hoc universum, distingo; proportionem omnino adæquata, nego antecedens; proportionem inadæquata, et aliquam confusionem admittente ex parte inferioris, concedo. Ergo sufficit ad comprehensionem, distingo consequens; sublata ista confusione, et inadæquatione per illuminationem superioris, concedo; stante illa, nego; et sic erit comprehensivus Angeli superioris mediate, et per confortationem intellectus sui ab Angelo superiori factam, non immediate, et ex vi propriæ virtutis, et proprii modi cognoscendi. Et ad probationem consequentur dicitur, quod ad comprehensionem alicujus

objecti sufficit quod objectum, et quidquid in illo est, sit proportionatum ipsi cognoscenti, distingo; sit proportionatum adæquate, et perfecte juxta modum rei cognoscendæ, concedo; inadæquate, et imperfecte, et juxta modum, et coarctationem, seu confusionem cognoscentis, nego. Et sic objectum superius, et species ejus inest connaturaliter Angelo inferiori juxta modum ipsius inferioris, non juxta modum superioris. Quod autem inest connaturaliter juxta modum recipientis, non sequitur quod totaliter comprehendat illud totalitate adæquationis, sed solum juxta modum suum, nisi talis modus superiori modo se habeat ad id quod naturaliter ei inest. Et licet connaturaliter ei conveniat; et sic non sit supra naturam ejus quantum ad convenientiam, et ordinem naturæ, nec quantum ad specificationem objecti, est tamen quantum ad modum, quia semper modus objecti est superior, et connaturaliter se habet ad tale subjectum, non quomodocumque, sed juxta modum capacitatemque illius: sicut lux connaturaliter recipitur in luminoso, et in diaphano, sed in diaphano juxta modum inferiorem, et non adæquate, nec ad modum quo est in luminoso.

XXVII. Ad probationem antecedentis dicitur, quod species Angeli superioris datur inferiori Angelo tamquam de objecto naturalis ordinis, et sibi proportionato, et ad suam sphaeram pertinente, distingo; sibi proportionato, et ad se pertinente juxta modum suum, concedo; juxta modum, et adæquationem ad ipsum Angelum superiorem, nego; et sic semper manet extra comprehensionem illius, quantum est ex vi propriæ virtutis, nisi superioris illuminatione intercedat. Et cum dicitur quod Angelus inferior est intellec-

tus perfectus, et non procedit de potentia ad actum, distingo; est perfectus juxta modum suum inferiorem, et confusorem respectu superioris concedo; ultra modum suum, nego. Neque ex hoc sequitur discursus in Angelo; quia non quælibet imperfectio, et habere se in potentia ad aliquod intelligibile fundat discursum, sed habere se in potentia, non unico intuitu actuabili, sed per circuitum, et pluralitatem illationis. Nam inferiores Angeli sunt illuminabiles a superioribus, illuminantur autem respectu eorum ad quæ sunt in potentia, et actu, non cognoscunt, vel non perfecte; nec tamen propterea discurrunt, etiam quando illuminantur; nec enim sunt in ignorantia privativa, id est, respectu eorum quorum cognitio sibi debetur, et quam possunt per collationem acquirere, sed sunt in ignorantia negativa, seu nescientia quæ simplici illuminatione tollitur. Non ergo quælibet potentialitas ad intelligendum sufficit ad discursum, sed aliqua sufficit ad illuminationem sine discursu, scilicet quando est in potentia ad cognoscendum per illuminationem simplicem, et unico intuitu faciendam: tunc enim etsi actuatur, et perficitur a superiori per illuminationem, sed non discurret, quia non per collationem et illuminationem actuatur. Et cum dicitur quod Angelus superior, et omnes ejus perfectiones sunt proportionatum objectum inferioris, utpote ad ordinem naturalem pertinentes, jam dictum est, quod sunt objectum proportionatum, applicatum tamen juxta modum inferioris, non superioris. Atque ita aliud est esse objectum proportionatum quoad specificationem, quia scilicet intra sphaeram specificationis ejus sunt; aliud quoad adæquationem et perfectionem qua discernitur, et adæ-

quate penetrat, et videt omnia illa, sicut omnes colores, et lux sunt objectum proportionatum, id est, specificativum visus, sed tamen non quilibet visus potest æque discernere, et adæquare se cuicumque luci, et cuicumque colori, sed juxta modum, et capacitatem suam, licet totum quod in illa luce, et colore est, visibile sit, et proportionatum sit specificative, non semper adæquate, et comprehensive. Sic omnia quæ in Angelo superiora sunt, naturalis ordinis sunt, proportionata sunt Angelo inferiori proportionem adæquationis, et perfectionis in discernendo se juxta modum, et capacitatem inferioris.

ARTICULUS II.

Quomodo Angelus futura, et præterita cognoscat.

I. Præcipuus difficultatis punctus non est de re ipsa, cum constans sit Angelum vi sua non cognoscere futura contingentia certo, et determinate, nec alia quæcumque futura in seipsis immediate: sed difficultas est in reddendo rationem cur ista futura non possit cognoscere, cum non careat speciebus repræsentantibus illa; quando enim præsentia redduntur, certum est cognosci ab Angelo, non jam ut futura, sed ut præsentia, et tunc non infunduntur illi species de novo, si quidem non accipit species pro singulis individuis, quæ fiunt, sed utitur speciebus universalibus, quas utique a principio habet: et istæ in sua repræsentatione non dependent ab ipsis rebus, nec ab illis accipiunt perfectionem aliquam, vel immutationem quando res fiunt. Quomodo ergo de novo repræsentant illa, cum in se de novo non immu-

tentur? Hæc est difficultas de futuris, et eadem fere est de præteritis, quando Angelus non advertit, sed transeunt aliqua, seu fiunt eo non advertente, quare non possit Angelus cognoscere illa præterita in vi speciei, quæ repræsentat illa? Et ex hoc etiam discussa manebit difficultas quomodo Angelus per speciem suam universalem, individua repræsentet, et quomodo ab eorum dependeat existentia, ut determinate hoc vel illud singulare repræsentet.

SUPPONUNTUR CERTA.

Tria sunt certa, et supponenda in hac parte.

II. Primum est, tria esse genera futurorum. Primum est, eorum quæ necessario eventura sunt, nec possunt impediri, sicut solem cras oriri, eclipsim futuram esse. Secundum est, eorum, quæ ut plurimum eveniunt per causas quidem naturales, sed impedibiles, ita tamen ordinatas, ut raro impediuntur, sicut quod in vere sint tonitrua, et in hieme pluviam. Tertium est, eorum, quæ omnino contingenter eveniunt, vel quia habent causas liberas, vel quia habent fortuitas, et in utramque partem contingentes, sicut quod Petrus cras ambulet, vel quod canis latret, aut quod seges comburatur a fulmine. Solum autem est duplex modus cognoscendi ista futura, scilicet vel quia cognoscuntur in seipsis, secundum quod habent existentiam extra causas, vel cognoscuntur in alio, id est, in virtute causarum a quibus procedet talis existentia, et in quibus continentur.

III. Loquendo ergo de cognitione futurorum in seipsis, id est, prout extra causas, nullo modo ab Angelis possunt cognosci, neque futura necessaria, neque contingentia. Et ne